



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

Consolatio ex Sacra & immaculata Incarnatione & Nativitate D. N. Iesu  
Christi. v.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

Rom. 8.

si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Si ipse est, & non alius, cui quotidie confitemur, dicentes: Tibi soli peccavi: quis melius, imò quis alius remittere potest, quod in cum peccatum est? Aut quomodo ipse non potest, qui omnia potest? Denique ego quod in me delinquitur valeo, si volo, donare: & Deus non queat in se commissa remittere? Si ergo peccata remittere & possit Omnipotens, &

Psal. 31.

solus possit, cui soli peccavit: beatus profectò, cui non imputabit ipse peccatum. Itaque cognovimus, quòd peccata Christus Divinitatis sua potentia valuit relaxare. Porrò iam de Voluntate quis dubitet? Qui enim nostrā & induit carnē, & subiit mortē: putas suam nobis negabit Iustitiam? Voluntariè incarnatus, voluntariè passus, voluntariè crucifixus, solā à nobis retinebit Iustitiam? Quod ergo ex Deitate constat illum potuisse: Humanitate innotuit & voluisse.

CONSOLATIO EX SACRA ET IMMACULATA Incarnatione & Natiuitate Domini nostri Iesu Christi.

Fructus Incarnationis & Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi.

CAPVT  
V.

INEFFABILE est planè, atque omnino supra captum ingenij humani Beneficium, in sine temporum orbi exhibitum, sancta & immaculata Domini nostri IESU CHRISTI INCARNATIO ET NATIVITAS: cuius consideratione pius ille vates David, de cuius ventre fructu natus est Christus, in hac verba Spiritu sancto plenus prorupit: Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit. Quid enim mirabilius, quàm quòd Deus homo factus est? quòd ipse in sua persona venit ad liberandum

Psal. 131.



randum populum suum? Proinde, Iubilate, inquit, Deo  
omnis terra: cantate & exultate & psallite. Iubilate in  
conspectu regis Domini: quoniam ipse venit iudicare  
terram. Iudicabit orbem terrarum in iustitia: & popu-  
los in equitate. Suales admodum & aurea prorsus sunt  
voces: & vehementer consolantur. Sensus est. Deus ipse  
veniet, ut iudicet terram: dabit Aduocatum, Media-  
torem, & Satisfactorem, seipsum. Qui ubi causam egerit:  
sumet partes Iudicis, inter humanum genus, & diabolum:  
pronunciabit sententiam pro genere humano contra diabo-  
lum: & liberabitur homo, non sua, sed alterius iustitia,  
nempe Iesu Christi. Causa nostra erat, quod eramus di-  
gni eterna morte: a qua nos Christus Mediator Dei  
& hominum, homo factus, sua morte liberavit. Quis un-  
quam admirari satis poterit hanc ineffabilem Dei Bo-  
nitatem & Dilectionem? Considera, quis ipse: qui nos.  
Ipse splendor gloria: hoc est, is in quo gloria Patris, qui  
lucem habitat inaccessibilem, resplendet. Ipse figura sub-  
stantie illius: quippe qui totam Patris naturam in sese  
se complexus: per omnia similis Patri, per omnia Patri  
coequalis: per quem secula condita sunt. Atqui hic, qui  
tantus est, pro nobis sese impendit: nobis natus est, nobis  
sanguinem fudit. Quid autem nos? Fimentum luti, ci-  
nis & puluis, massa putredinis: imò & hostes. Quid te o-  
nimium dilecte IESU huc adiecit? quae merita populi? quae  
huius beneficia? Nulla prorsus. Amor, inquit, quo ultro  
prosequi lubet hominem perditum facit, ut subeam tam  
indigna. Certè cum Deus esset, poterat nos alio modo li-  
berare: sed ut declararet, quanti nos faceret, quantum-  
que diligeret, voluit hoc modo liberare: voluit hac ra-  
tione uti, ut efficacius sanaret miseriam nostram. Quid  
autem ita facit ad erigendam spem nostram, quam Exem-  
plum hoc benignitatis & humanitatis Dei exhibitum?

N 2 Nans



Nunc vero Sententias aliquot, tanquam suauiter spirantes flosculos, ex S. Scriptura viridario desumptis corde suscipiamus: usque nos recreemus.

SENTENTIÆ S. SCRIPTURÆ perquam suauēs, de Incarnatione & Natiuitate n. Iesu Christi.

SENTENTIA I. Esaiæ 7.

Hæc dicit Dominus: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius E M A N U E L.

PARACLESIS.

CAP. VI.  
Matth. 1.  
Chrysof. in  
Esaiam Pro-  
phetam.

Luc. 7.  
Matth. 9.  
Lucæ 19.

**V**OCABVLVM hoc dulcissimū explicat S. Eu-  
angelista Matthæus, Quod est interpretatum,  
inquit, NOBISCVM DEVS. Tunc enim maximè nobis-  
cum fuit Deus, quando super terram visus, & cum ho-  
minibus conuersatus, multam nostræ salutis promiden-  
tiam declarauit. Non enim iam angelus, non itè arch-  
angelus nobiscum: Sed ipse suo descensu Dominus con-  
nem in se recepit medelam & correctionem. Cum mer-  
tricibus loquitur familiariter: cum publicanis recun-  
bit: domos ingreditur peccatorum: latronibus se conuer-  
niendi liberam concedit fiduciam. Denique nostrā hōm-  
naturam sibi ipsi conuinit. Deo ergo hominibus adstite-  
te, nihil relinquitur iam homini formidandum, & quod  
illi incutiat tremorem: magis verò, vt de vniuersis fi-  
duciam sumat: quod & re ipsa contigit. Illa enim ma-  
à progenitoribus inuecta, & qua immota videbantur,  
dissoluta sunt. Sententia aduersus commune hominum  
genus prolata, submota est. Quin & nerui illorum pec-  
cati resēti sunt: & diaboli tyrannis deperit. Paradisus  
eatenus omni humano generi inaccessus, homicida & la-  
troni primum nunc patuit. Mors, nomen quidem retin-  
net deinceps, ipsa re spoliata.

SEN